

Jan Niedziałek

"Cosmologia", Michele Fatta, Milano 1936 : [recenzja]

Collectanea Theologica 17/4, 564-566

1936

Artykuł został zdigitalizowany i opracowany do udostępnienia w internecie przez Muzeum Historii Polski w ramach prac podejmowanych na rzecz zapewnienia otwartego, powszechnego i trwałego dostępu do polskiego dorobku naukowego i kulturalnego. Artykuł jest umieszczony w kolekcji cyfrowej bazhum.muzhp.pl, gromadzącej zawartość polskich czasopism humanistycznych i społecznych.

Tekst jest udostępniony do wykorzystania w ramach dozwolonego użytku.

Fatta Michele: Cosmologia Società Editrice „Vita e Pensiero“, Milano 1936 (in-8^o, pp. 423)..

Neoscholastici omnibus in partibus philosophiae tendunt ad systematicam elaborationem, quae statui hodiernae philosophiae et scientiae respondeat. Hoc tentamen maximam difficultatem in *Cosmologia* invenit, nam philosophia Peripatetico-Scholastica veram activitatem, veras qualitates, veras mutationes accidentales et substantiales in corporibus agnoscit et haec phaenomena ultimam per Hylemorphismum explicat. Doctrina allata videbatur contraria esse physicae classicae, quae ad explicandas multas leges experimentales admittebat theoriam atomicam et eam iungebat cum Mechanicismo philosophico, qui omnia phaenomena in corporibus explicabat. Oppositio inter philosophiam naturalem Peripatetico-Scholasticam et physicam classicam putabatur tam seria esse, ut neoscholastici quidam aliunde bonae notae iudicarent Hylemorphismum penitus reliquendum vel saltem in applicatione valde limitandum esse.

Crisis physicae classicae causata ultimo tempore theoria relativitatis et quantorum et posteriores inquisitiones internae structurae atomorum creant physicam theoreticam, in qua obligatur novus modus concipiendi mundum corporeum et quae propterea vocatur „nova physica“. Haec „nova physica“ mentes ipsorum cultorum physicae aliquatenus a Mechanicismo avertit et neoscholasticis dat occasionem, ut philosophiam Peripatetico-Scholasticam de corporibus hodiernis datis scientificis et theoriis vere per experientiam confirmatis audacius componere studeant. Revera hoc faciunt nonnulli neoscholastici, inter quos eminent R. P. Petrus Hoenen S. I., professor *Cosmologiae* in Pont. Univ. Gregoriana¹⁾. R. P. Hoenen defendit integrum Hylemorphismum et ostendit metaphysicam Thomisticam corporum posse esse unicum explicationem philosophicam omnium, quae modernae scientiae de corporibus tradunt. Similem tendentiam habet *Cosmologia* R. P. Fatta, in lingua Italica edita ab Universitate Catholica S. Cordis, Mediolani: „È compito del cosmologo approfondire la posizione tradizionale aristotelico-tomista... e vedere se e come i dati scientifici sempre nuovi, filosoficamente elaborati, si inseriscano et si inquadrino armonicamente nel sistema, inteso come una sintesi sempre più comprensiva“, p. 28 et 29. Huius operis relationem facimus.

Cosmologia R. P. Fatta dividitur in quattuor partes Prima in parte exponuntur diversae sententiae de constitutione corpo-

¹⁾ Scripsit: *Cosmologia* (ad usum auditorum). Apud aedes Pont. Univ. Greg. Romae 1931; diversi articuli ab anno 1925 in periodico „Gregorianum“; labores praesentati in Congressu Thomistico Romae 1925.

rum: Mechanismus, Dynamismus, fuse systema Aristotelico-Thomisticum. Cl. Auctor systema Aristotelico-Thomisticum comparat cum contemporanea physica theoretica et in conclusione affirmat explicationem discontinuitatis qualitativae (diversae species corporum, 92 elementa), quae in physica traditur dependens ab discontinuitate numerica (a diverso numero) electronum, protonum, neutronum, postulare finalitatem immanentem in mundo corporeo. „Se il numero è una causa della specificità questa è, a sua volta, causa finale del numero. In altri termini l'Autore della natura assegnò tali diversi numeri affinché (ecco la causa finale) sorgessero tali diverse specie“, p. 76. Omne igitur individuum corporale habet suum modum agendi, determinatum a propria natura. Systema Aristotelico-Thomisticum vocatur Naturalismus et agnoscitur aptum ad reddendam rationem constantis ordinis universalis. Ex Indeterminismo Heisenberg'i, quem nonnulli iniuste concipiunt instar cuiusdam libertatis in corpusculis subatomicis, secundum cl. Auctorem solum deducitur nos non posse determinare statum futurum propter conditiones, in quibus operamur, sed nullo modo potest affirmari statum futurum non sequi leges determinatas.

Secunda pars continet quaestiones de quantitate, loco, qualitate. Cl. Auctor inter individuum materiale et quantitatem continuam agnoscit necessariam connexionem; primos limites divisionis physicae moleculas in mixtis et atomos in elementis existimat vera individua et tribuit eis unitatem actualem; deinde contendit corpuscula subatomica constituere quantitatem materialem et non esse solum „una pura apparenza elettromagnetica“. Difficultatem praebent praesertim electrona, quae physici iudicant non quantitatem materiae (come quantità di materia), sed reactionem inertiae (ma come reazione d'inerzia) in sensu physicae contemporaneae. Hac in re defenduntur sequentes theses: Electron, quia est ens mobile, non potest non esse ens quantum. In statu actuali physicae deest sufficiens fundamentum ad affirmandum electricitatem esse unicum substratum materiae. In theoria undulatoria (vel vibratoria) non potest supprimi exigentia subiecti vibrantis (l'esigenza di „chi vibra“).

Tertia in parte exponitur doctrina scholastica de mutatione. Distinguitur mutatio accidentalis et substantialis earumque existentia in rerum natura demonstratur. Mutatio substantialis admittitur in ortu moleculae ex atomis et in ortu atomi ex corpusculis subatomicis. Philosophica interpretatio mutationis substantialis est Hylemorphismus, qui est applicatio fundamentalis doctrinae de actu et potentia. In motu locali secundum Auctorem adest radicalis relativitas, quia conceptus motus localis implicat alterum corpus ad quod mobile est in motu, sed simul adest aliquid absolutum, nempe realitas intrinseca huius eventus, quod est motus.

Quarta in parte cl. Auctor explicat doctrinam de spatio et de tempore.

Cosmologia R. P. Fatta est optimum exemplum expositionis vere neoscholasticae. Doctrina fundamentalis Peripatetico-Scholastica fideliter servatur et systematice iungitur cum hodiernis scientiis naturalibus, propterea non apparet aprioristica, sed quasi necessarium complementum philosophicum physicae. Quod ad ordinem quaestionum attinet melius esset partem de constitutione (de essentia) entis materialis ponere in fine, quia essentiam cognoscimus post proprietates, sed hoc parvi refert. Omnibus, qui docent Cosmologiam in institutis philosophicis et volunt eam exponere, ut adsit contactus cum scientia moderna, liber R. P. Fatta potest esse valde utilis.

Ne tamen nimis prompte affirmemus physicam modernam de facto dirigi ad agnitionem quasi spontaneam philosophiae Aristotelico-Tomisticae uti convenientis doctrinae philosophicae. Talem quidem interpretationem philosophicam novae physicae admittunt non solum neoscholastici sed etiam nonnulli physici, v. g. Ceslaus Białobrziski, professor Universitatis J. Piłsudski Varsoviae. Attamen communius inter modernos physicos propter reductionem substantiarum materialium ad statum vibratum ignotae entitatis physicae, quae exprimitur symbolis mathematicis, praevalent tendentiae idealisticae et mundus corporeus quasi evanescit.

Adhuc una observatio. Ultimis saeculis scholastici debuerunt defendere essentialem superioritatem mundi organici, quem scientiae particulares voluerunt considerare unice secundum leges mechanicas mundi anorganici. Hodie autem scientiae potius mundum anorganicum sublevant ad statum superiorem, similem mundo organico, propterea neoscholasticorum erit defendere inferioritatem mundi anorganici.

Janów Podlaski

Joannes Niedziątek.

Ks. Dr. Jan Bochenek: Stanisława Hozjusza nauka o eucharystii, Warszawskie Studja Teologiczne 13, Warszawa 1936, str. XIV + 163.

Znaczną już dziś posiadamy literaturę poświęconą świetlanej postaci kardynała Stanisława Hozjusza. Niektóre dzieła badają naukowe znaczenie Hozjusza. Większość jednak oświetla kwestję z punktu przeważnie historycznego. Brak niestety rozprawy, któraby ex professo w sposób naukowy przedstawiła całą teologię polskiego kardynała. Ostatnią poważniejszą pracą